MONITA CALVINISTARVM

PRIVATA & PVBLICA, GENERALIA & SPECIALIA,

Ex libris illorum, dictis, & factis collecta, in ordinem redacta, & explicata,

IMPVLSV VERITATIS, ZELO SANctæ Fidei Catholicæ, & odio impiæ hæresis Caluinianæ.

AVCTORE G. CRVTIO Ciue Sigeio.

Matthæi 7. versu 17.

Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?

LEO Magnus Ser. 4. de Collect.

Magna est pietas prodere latebras impiorum, & ipsum in eis, cui seruiunt, Diabolum debellare.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus IOANNIS KINCHII,
ANNO M. DC. XVII.



LECTORI CATHOLICO S.

PRodierant aliquot ab hinc annis MONITA priuata Societatis IESV, monſtrum certè horrendum, informe, & partus omnino fraude, maloque dolo ſuppoſitus: quippe quem nunquam illa geſtauit, aut peperit, ſed ne concepit quidem. Fidem faciunt, primùm frons ipſa tam turpis & tam diſtorti fœtus, quæ præferebat Notobirgæ, id eſt, in Caci alicuius ſpelæo, aut malè feriati ſicophantæ temerario ac mendaci cerebro enatum fuiſſe; deinde trium grauiſſimorum virorum teſtimonia typis etiam ab illis ipſis anno ſuperiore euulgata; inter quam Illuſtriſ. ac Excel. Domini Ioannis ab Oſtrorog Palatini Poſnanien. Senatoris Regni Poloniæ primarij, præcipuum facilè auctoritatis locum tenet. quod in Admonitoria ad Filios contra fraudulentiā ſcripti indigitati MONITA PRIVATA SOCIETATIS, primùm Leopoli, deinde hoc anno Niſſæ excuſſa, beneuolè atque Catholicè lector videre poteris. Quocirca non exiſtimabam quempiam ita proiectæ audaciæ inuētum iri, qui plebeium hoc ac triuiale ſcriptum, tot portentoſis hinc inde mendacijs reſperſum


tam

tam euidenter iam confutatum, & tam insigniter explosum, denuo luce aliqua dignum putaret. Inuentus est tamen Anonymus in schola Caluini, vt apparet, ad omnem nequitiam probè eruditus (neque enim aliunde tã acutulus figmentorum architectus prodire poterat) qui pro conuitiandi prurigine palpum suis obtrudere, Catholicis fucum facere volens, hanc sibi Spartam exornandam deligeret. Ante duos igitur menses in Prussia, vt conijcio, gloriabundus edidit Hagiopoli, (rectius dixisset Cacopoli; quia Ciuitas hæretica Sancta vocari non potest) & publici iuris fecit, in gratiam quidem omnium tam Euangelicorum, quàm Catholicorum amicorum, aut inimicorum; sed potissimùm Patrum Societatis Monita decem, tam publica, quàm priuata; generalia & specialia suæ sectæ, seu hæresis Caluinianæ. Vt autem ea curioso lectori enixiùs commendaret, telam suã exorsus est à Monitis Priuatis Societatis IESV pertinaciter asserens esse germanum Societatis partum, in eaque natum, in lucem tandẽ aliquando protrusum fuisse, etsi eum nunc vt spurium, & illegitimum aspernetur; & in tãtum eam illius pudeat pœniteatque vt Euangelicos huius sui fœtus, & suorum Monitorũ, nunquam similiter pudere ac pœnitere possit. Insuper (qui sectariorum genius est) dissimulat vulpinator vidisse se Monitis istis

Priuatis Societatis IESV opposita scripta; sed Societatis huius praxim (quod æquè falsum est, ac sunt ipsa Monita) sufficienter docere eius esse propria, & non alterius, sine vlla probatione, homo excors & temerarius asserit. Mouit mihi res hæc stomachum, vt debuit: & extorsit à me, vt germana quædam, ac genuina MONITA, tam priuata quàm publica, specialia & generalia Caluinianorum, quæ iste scriptor personatus, ne suam sectam proderet, & exosam omnibus bonis redderet, subticuit & dissimulauit, colligerem ex libris illorum, dictis, & factis; & collecta opponerem; palamque toti mundo proponerem. Nihil per calumniam fingam: nihil sine probatione proferam: agam fideliter & Catholicè, relictis vbique synceritatis & modestiæ Christianæ impressis vestigijs. Videbo an non pudebit Caluinistas huius sui partus, sicut puduit illos superioribus annis decreti quòd de non baptisandis paruulis illegitimè natis in synodo fecerant, & quidem ter; primùm in Palatinatu Anno 1587. deinde Vilnæ 1589. 11. Martij, vt refert Adrianus Iungius *lib. 3. de doctrina & moribus Euangelicorum*, & rursus 1590. in Maio, vt testatur Stanislaus Rescius in atheismis Euangelicorum, *cap. 5. titulo Synodus Vilnen.* Vtinam miseri vel modò oculos aperiant, & Fidei sanctissimæ solem, qui in Ecclesia Romana plenus luce veritatis

ritatis coruſcat, vt genuini huius aquilæ pulli, tandem acie inoffenſa intueantur. Et quoniam ediderunt aliqui ex Catholicis Aphoriſmos doctrinæ Caluiniſtarum, Caſus conſcientiæ, Titulos eorundem, Mores & Priuilegia, hoc mihi vnicum relictum videbatur, vt MONITA illorum in lucem darem; maximè cùm ipſi Caluiniſtæ aliquam huius rei ideam & occaſionem mihi præbuerint. Tu lector Catholice, legendo ride: Caluiniſtarum ſtultitiam execrare: & omnibus à Fidei ſemita exerrantibus ſanam mentem, & animæ ſalutem enixè poſtula. quam tibi pleno calamo propino.

CRACOVIAE ANNO MDCXVI.



MONITA PRIVATA ET SPECIALIA CALVINISTARVM.

I.

QVALITER SE GERERE DEBEANT Euangelici, cum in aliquam ciuitatem Christianam Caluinismum introducere volunt.

I. Simulent consensum per omnia cum Lutheranis in rebus Fidei ac religionis. *Ita docent* HEIDELBERGENSES *Caluinista, (quod videri potest* in Aphorismo 13. Doctrinæ Caluinistarum) *& Anonymus quidam Caluinista in libro quem ante biennium typis describi curauit, & hoc specioso titulo insigniuit*: CONCORDIA LVTHERANORVM CVM EVANGELICIS IN REBVS FIDEI. *cui statim oppositus fuit alter liber;* FOREMNA ZGODA. *Mirabilis concordia, id est ipsissima discordia: & alij quos vide citatos §.2. huius Moniti. Colligitur & ex* IACOBO *Zaborovvski Caluinista Ministro verbi* DEI, in libro quem scripsit contra NODVM GORDIVM Martini Smiglecij Societatis IESV.

Denique

Denique idem testatur perpetua praxis, quam Caluinistæ, cùm suum Caluinismum alicubi introducunt, exercent. Ita actum in nostra Prußia, dū Elbinga, Gedano, Torunio Lutherum proscribere voluerunt. De Gedanensibus nihil dico, loquitur me silente plebs ipsa; quæ tot mutationum iam in rebus Fidei pertæsa, mauult in vnius Lutheri dogmatibus periculosè conquiescere, quàm ad Caluini deliramenta praeeuntibus licet ditioribus temerariè transire. De Torunensi senatu vnum operæ pretium visum est attexere. Hic cùm Fide dissectus à vulgo spreto Luthero Caluinum paulatim induisset: vt plebem sua auctoritate ad tam ridiculam defectionem pellicere posset, Lutheranus verò Minister PETRVS *Krzesichleb dictus post tot animarum strages putentem exhalasset animam: Posnania ex Picarditarum (sic ibi Caluinistas indigitant) Synogoga* IOANNEM *Turnoueum hominem Caluini spiritu plenum aduocarunt: qui vulpina assumptâ pelle, & dißimulata turpiter religione plebi iuxta ac Senatui deseruiuit. In ambona templi primarij strenuus Lutheri assecla eius dogmata euulgabat: vt prurientes ciuium aures, ne contra Magistratum Caluinisticum plebs factiosa consurgeret, defricaret: in adyto vero Caluini gregalis primis ciuium capitibus conuenientibus Stygmatici somnia vendebat; ibi Lutheranæ, hic Lemanicæ cœnæ coctor, omnibus omnia factus est, vt vna secum omnes ruina inuolueret. Quod an non sit consensum dißimulare cum*

Lutheranis, & Machiauelli fæculentos sectari riuulos, vel ijs aduersarijs, quibus mentis oculi domi sunt, dijudicandum relinquo. Certè, meo iudicio, qui hoc negauerit, dignus est, qui hircum mulgeat, etiam Anonymo nostro cribrum supponente.

Quod si aliquam mentionem facere necesse esset articuli de Cœna Domini, tunc aut doceant Christum esse verè realiter præsentem in Cœna, æquiuocatione vtentes, & intelligentes de Cęna, quæ in cœlo celebratur, non quæ in terra; *vt fecit* THEODORVS *Beza Anno 1556. de qua re consulatur confeßio ipsius eo anno ab ipso edita.* vel absque æquiuocatione, tempori tantum seruientes: *quod fecisse Zuinglium constat ex libro de vera & falsa religione*, aut contrarium affirment: simul tamen asserant hunc dissensum circa articulum de cœna non esse rem magni momenti; cùm nõ sit circa substantiam rei credendæ, sed tantum circa modum, seu circumstantias quasdam, quæ adiaphora sunt. Satis enim est ad Fidem & salutem nostram tenere Christum esse in Eucharistia, & corpus suum nobis dare; non verò quomodo sit, & quomodo det, credere necessarium.

Ita docuit IACOBVS *Smidelinus* in libro de cœna Domini. *qui conabatur etiam persuadere*, Lutherum & Zuinglium in re Sacramenta-

mentaria bellè conuenire: eſſeque inter illos tantum logomachiam, & non de re certamen. *Lege AMSDORPHIVM Lutheranum in ſua Confeßione fraudem iſtam Smidelini grauiter & acerbè reprehendentem; & alios Lutheranos in citata FOREMNA ZGODA* cap. 3. *inter quos IOACHIMVS VVeſtphalus Miniſter Hamburgenſis doctrinam Sacramentariorum negantium Chriſtum eſſe realiter præſentem in Cœna vt blaſpemam & impiam proſcribit. Smidelino conſentiunt huius ſæculi CALVINISTAE ſeu LVTHEROCALVINISTAE in Prußia & Polonia.* Et tale mihi nobilis quidam Polonus ex ſchola Caluini anno ſuperiore in Septembri reſponſum dedit: cùm ei affirmanti conſentire per omnia Caluiniſtas cũ Lutheranis articulum de Cœna Domini oppoſuiſſem.

Laudent Lutheranos, tanquam Reformatores Eccleſiæ Chriſti, & Papiſtici fermenti repurgatores: cùm ab illis reſtitutum ſit fundamentum veræ Fidei (vtinam reſtituiſſent & cæremonias verbo Dei conſentientes relictis ijs, quas vſitatas in Papatu cum quibuſdam parum commodis opinionibus ad ſe deriuarunt; & neſcio cur hucuſque retinent) ſe verò, vtpote ad hoc à Deo ſubmiſſos, velle, in illo quoque ſecundo accuratiores eſſe, & quàm longiſſimè à Papatu etiam in cæremonijs ſecedere dicant. Denique in his tantum rebus, quæ adiaphoræ ſunt ſe diſ- II.

ſidere à Lutheranis cõſtanter aſſerere ne vereantur. *Ita BATAVVS Caluiniſta* in quæſtionibus Batauicis; *& Sereniſsimus IACOBVS Rex Angliæ* in Apologia, *vbi docet, Lutheranos & Caluiniſtas in quibuſdam tantum apicibus diſſentire. Denique expreſsè* Monito 9. *Anonymus, qui MONITA Euangelicorum hoc anno euulgauit. Confirmat BAVDAEVS Caluiniſta, dum* in Trochaic: lib. ad Bezam, *Lutherum & Lutheranos vindices vocat veritatis. Sed hoc falſum eſſe etiam in theſibus Lutherani cuiuſdam Superintendentis in Pomerania KRAKIEVICZ dicti ante annum excuſis videre licuit: qui hanc doctrinam, nempe quòd in adiaphoris quibuſdam ſolũ à Lutheranis Caluiniſtæ diſſideant, ſeuero ſatis ſtylo iugulauit, dũ Caluiniſtas vulpes eſſe, & talia aſſerere (fortè vt rudem dementent plebeculam) ſed nunquã probare poſſe apertè teſtatur. quare his Nec pueri credent, niſi qui nondum ære lauantur.*

III. Vocent Caluiniſmum Confeſſionem Auguſtanam; ibi præſertim, vbi illa à Papiſtis permittitur. *Ita loquuntur & ſcribunt Caluiniſtæ Elbingæ, Torunij, & Gedani. Sed ridiculè confeſsionem Auguſtanam profeſsionis ſuæ Symbolum producunt callidæ hæ vulpeculæ; cùm ipſe eam CALVINVS, vt obſcuram & mutilam reijciat*, epiſtola 313. *& inſuper facem vocet ad excitandum incendium, quo tota Gallia conflagret: (vide IACOBVM Gretſerum Societatis IESV, libro aduerſus GVLDINASTVM, & RESCIVM*

in

in atheiſmis Euangelicorum cap. 6. folio 221. *& præterea Miſſam, quam Confeßio Auguſtana* articulo 10 *exigit, ac præcipit ſummâ veneratione celebrari, peruerſitatem, impiam ſacræ Cœnæ profanationem & idololatriam appellet.* lib. 4. Inſtitut. cap. 8. §. 8. & 9. *Non dißimilia ſentire de Confeßione Auguſtana alios Miniſtros Caluinianos apud eundem* RESCIVM loco citato folio *241. & 328. videre licebit.*

IV. Non tractent ipſis initijs res Fidei controuerſas Euangelicis cum Catholicis; ſed tantũ acerrimè ieiunia Papiſtarum, diſciplinas, cilicia, humicubationes, Confeſſionem auricularem, Pœnitentiam, Satisfactionem impugnent; vitam monaſticam ſeu religioſam, & Decimas, tanquam deliramenta hominum, carnificinas, & onera Aetna grauiora, inutilia, ac libertati Euangelicæ contraria, ad quã teſte Apoſtolo ad Gal: vocati ſumus, inſectẽtur. Et hanc libertatem Euangelicam, quàm maximè poſſunt, prædicent populo, & inculcent eò quòd nos ab omni iugo & ſubiectione liberos & immunes faciat. *Hic paragraphus moniti ita clarus & certus eſt, vt nulla indigeat probatione Videri tamen poterit in Inſtitutionibus* CALVINI Lauſannæ impreſſis An. *1577. (quibus vtimur)* lib. 3. c. *19.* §. 2 4. & 7. *vbi reijcit omnes leges humanas, tam Eccleſiaſticas quàm Ciuiles, quæ latæ ſunt circa adiaphora. cùm tamẽ ipſe tulerit aliquas tales, & obſeruari eas à ſuis*

Caluini-

Caluinistis voluerit, vt patet ex libro quem FORMVLAM SACRAMENTORVM ADMINISTRANDORVM *inscripsit.*

Plura de modo propagandi Caluinismum*, qui volet, legat apud* BALTASARVM *Chauasium* in libro de notis certissimis veræ Ecclesiæ, libro 4. cap. 2. §. 5.

II.

QVID FACTO OPVS SIT VT *Caluinismum Principibus, aut Regibus persuadeant.*

HOc opus, hic labor, vnde & animo, viribus, prudentiâ, arte, consilio, hic maximè vtendum est.

I. Dicant ergo clarè & disertè Reges ac Principes, quamdiu Papisticam superstitionem sequuntur, miseros esse, etiam in hac vita; vtpote oues tantum, imò & mancipia Sacerdotum, Monachorum, Iesuitarum, & Papæ; quippe qui solus Cæsarum sibi tyrannicè substernit ceruices: & Regum oscula infra crepidarum suarum soleas fastuosè deprimit. Vbi verò Caluinismũ amplexi fuerint, continuo felices ac beatos fore. statim enim quasi necessaria sequela futuros Primates Ecclesiæ Dei, suprema capita, Iudices & Pastores eiusdem: ac proinde Synodos indicere, leges Ecclesiasticas condere, beneficia spiritualia propria auctoritate, vt liberè conferre, sic

re, sic & Episcopos creare, deponere, subditos contumaces excommunicare, deniq; omnes controuersias ad Fidem & Religionem pertinentes definire posse. *Quid his titulis maius excogitari, aut inueniri potest? quos omnes solus Caluinismus in Reges & Principes congerit. Ita docent, quamuis non singula omnes, cùm inter se digladientur*, HENRICVS *Salcolburgen*: in Refutatione Examinis Martini Becani Societatis IESV. *SACELLANVS Regis Angliæ*, in Torturâ torti. *GVILIELMVS Tocker*, in Duello cum Martino Becano. *RICARDVS Tomsonius* in Elencho Refutationis Torturæ torti. *ROBERTVS Burchillus* in Responsione pro Tortura torti. *denique Serenißimus Rex Angliæ IACOBVS* in Apologia pro iuramento fidelitatis.

II. Euidenter demonstretur Regibus & Principibus Catholicis thesauros illorum & reditus annuos fore maiores, vbi Caluinismo adhæserint. Hic enim non solùm permittit, sed etiam docet, posse Reges ac Principes in suis ditionibus auferre Episcopis, Canonicis, Parochis, Monachis, &c. Episcopatus, possessiones, monasteria, aulas, &c. & bonis suis adiungere. item ex templis auferre cruces argenteas, calices, & alia vasa argentea, aut aurea, omnia deniq; ornamenta (quibus Deus non indiget) eaque in proprium vsum conuertere.

Ita

Ita teste SANDERO lib. de Schismate Anglicano, *docuerunt & fecerunt* PVRITANI *in Anglia, qui hæreditatem Ecclesiæ Dei, quam* HENRICVS VIII. *Rex schismaticus denis templorum & monasteriorum millibus euersis, & tot thesauris vndiq; compilatis, sacrilegè oblimauerat in domesticas Charybdes coniectam, turpiter decoxerunt. Idem* HVGONOTAE *fecerũt in Gallia, quorum pingui cædibus ferro paucis similiter annis hospitalia supra nongenta euersa, monasteria supra duo millia deuastata, aliarumq; Ecclesiarum viginti millia à fundamentis excisa sunt. & insuper Scythica barbarie sæuitum in omne id, quod vbique sacrum, aut parẽtum posuerat cœlo missus ardor; aut amor ad hæc exulcerata tẽpora seruauerat. Nec benigniores fuerunt* PICARDITAE *in Bohemia.* GEVSII *in florentißimis Belgiæ Prouincÿs: in quibus, ne quid reliquum esset, post tot Ecclesiasticarum facultatum depraedationes, tanquam expresso iam lacte, sanguinem etiã Clero emarcidæ sanguisugæ exsuxerũt. Vide* THOMAM *Bozium* de signis Ecclesiæ Dei, lib. *12.* ca. *13.* BONARSCII *Amphiteatrum* lib. *1.* c. 10. *Auctorem commentarÿ* in Gnomas Dominici Baudei ca. 1. pag. 37. *& alios, quos ibidem citat. Item titulos Caluinistarum, titulo V.* RESCIVM *quoque, qui in sua Parænesi ad Equites Polonos* folio 389. *scribit, Caluinistas olim in Gallia hoc apophthegma perpetuò in ore habuisse:* TVM DEMVM REGEM GALLIAE VERVM FORE,

PO-

POTENTEMQVE, FRANCIAE MONARCHAM, QVANDO ECCLESIARVM REDITVS OMNES REGALIBVS SVIS HABVERIT ADIECTOS. Denique idem faciendum esse docent Euangelici in Prussia in Constit.editis Anno 1614. Constit. *1. quæ Berlini, & in alijs ciuitatibus ac oppidis, subiectis iure hæreditario Duci Prussiæ, fideliter est executioni mandata.*

Promittant præterea ijsdem Ministri Euangelici, se vtpote fideles verbi Dei præcones non suis, sed ouium commodis consulturos; non corporis, sed animi lucra quæsituros. Ex ijs autem, quæ ad victum & amictum necessaria sunt, naturam sequẽtes, paucis contentos velle viuere. III.

Iam verò vbi viderint suæ Fidei dogmata se illis omnino persuasisse, eaque firmas in cordibus illorum egisse radices: tum primũ in aliqua Synodo generali statuant; vt annui reditus integri, quibus olim Parochi, Præpositi, aut alij Sacerdotes Papistarum gaudebãt, ad Ecclesiam Caluinisticam redeant. *Id me ante viginti & aliquot annos, cùm apud Illustrem Dominum Christophorum Zieniovvicz Palatinũ Brestensem in Lithuania hospes degerem, audiuisse recordor. Cùm enim Minister, quem oppido suo Smorgonie præfecerat, è Synodo generali Vilnæ 1589. à Caluinistis celebrata reuersus rogaretur, quænam leges ibi latæ essent, inter alias hanc vnã retulit:*

Refert hanc Constit. Resciuslloco cit. Præfat. ad lectorem.

retulit: vt bona quæ antiquitus Ecclesijs sub Papatu attributa fuerant, & postmodum à dominis Fidem Pontificiam auersantibus occupata, Ministris verbi Dei ad vitæ sustentationem integrè nunc restituerentur. Cui nuncio tantùm abest, vt ille assensus fuerit, vel etiam excanduerit grauiter, ac potiùs Catholicis se ea restituere velle affirmauerit. Quo responso accepto Minister subticuit, atque symmachis suis id ipsum apud alios affectantibus altum deinceps silentium imposuit.

III.

QVID AGENDVM CVM MONACHIS, & Parochis Papisticis, ne se Caluinismo opponant.

PRoteſtentur Euangelici ſe velle pacem cum illis inuiolatam conſeruare: amicitiam perpetuò colere: iniurias illorum vindicare: imò in vno & eodem templo cum ijſdem vero Deo iuxta ſuam Fidem diuinum cultum exhibere. Solos Ieſuitas pro aduerſarijs & iuratis hoſtibus habere. Vt verò hæc omnibus promiſcuè perſuadeant.

1. Parochos inuitent ad diurnas ſimul & nocturnas epulas.

vbi cantharus ingens
Despuit effusi spumantia damna Falerni
In mensam cyathis stillantibus:
Et quisq; impiger hauriat
Spumantem paterā, & pleno se proluat auro.

Monachis

Monachis eleemosynas largiantur. I.

In Iesuitas spargant mendaciorum maria,& lingua simul & calamo ipsos pro virili conscindant. Vocent illos cum Baudeo Insulensi Poëta. II.

Scopulos iuuentæ literarum turbines,
Tubas duelli,busta pacis,hostium
Cuniculares coryceos,imperi
Sæuas charybdes,denique, vt verbo loquar,
Meros latrones.

Sed adde(& Gehennicam lucem)lector:ac vide an non præclarè sub pulchri nominis velamine BAVDEVS Caluinista inter prophetas sua suorumq; retegat scelera.Ita paßim facere Caluinistas,domestica Gedani & Toruniy data exempla manifestè docent: nec opus ad externa recurrere.

IV.

QVALES SE PRAESTARE DEBEANT Euangelici cum in aliqua ciuitate Catholica impares sunt Catholicis, & inferiores numero ac potentia.

Fidem liberam esse doceant, & donum Dei;atque ita liberum donum, vt ex arbitrio hominis fas sit hanc amplecti, illam repudiare: salutem in manu & consilio nostro à Deo positam dicant: nefas etiam esse quenquam ad Fidem cogi alienam: aut in sua I.

impediri: licere cuiuis eam Fidem sequi, quã priuatus cuiusque spiritus iuxta scripturæ normam rectam exactamque dictat.

II. Confœderationem in causa religionis vt rem licitam, sanctam, ac Reipublicæ vtilem, rationibus & clamoribus vrgeant. Quod si hæc omnia nõ sufficerent: adijciãt minas: tumultus & seditiones excitẽt: bella ac cædes minitentur: vt vi ac armis eam à Papistis extorqueant. Obseruabunt verò tempora commoda vrgendæ confœderationis; illa scilicet, quibus regnum vel ciuitas, graui aliqua publica necessitate premitur.

III. Contra inquisitionis Hispanicæ tribunal declament; illud proscindent; tyrannicum & impium esse comprobent: denique tanquam verbo Dei, moribus Ecclesię, rectęque rationi repugnans, damnent ac reijciant.

Omnes hos tres paragraphos doceri à Caluinistis inuenies fusè & euidenter in examine Pacati Impacati per multa capita, maxime vero 7.

IV. Ad extremum vtentur & illis medijs, quæ supra posita sunt in primo Monito §. 1. & 3.

V.

NE ALIBI EVANGELICI CALVInismum introducere attentent, quàm in terris Christianorum. Delicatum est Euangelium Caluinianum.

QVIA pudicitiæ soluit cingulum: castitatis repagula amouet: cœlibatum exe- I.
cratur: cupit omnes multiplicari & crescere: ideo Ministri eius vxorũ pariter & domesticis curis implicati,& in liberorũ pcreatione effusi, tot maris & mortis pericula adire non præsumant; cùmque (vt scutum Fidei nostræ testatur) mas feminave quinque diebus continens esse non possit, quid agerent nostri prędicantes,(agerent crediderim animam) si suas Iunones ac Veneres per tam diuturnam ac tædiosam Indicam nauigationem, per tot soli salique iniurias, grandines, niues, ardentes arenas,&c. circumducere nõ valerent. *Vide AMPHITHEATRVM BONARSCII* cap. 13. *Arduum est profectò amare simul & sapere, vt olim dicebat Agesilaus, cùm castra tumultuosiùs mouenda essent, & adolescentulum, cuius amore tenebatur, ægre dimitteret.*

Quia paupertate tanquam Papistico fig- II.
mento, proscriptâ bonorum temporalium proprietatem suis promiscuè indulget. Idcirco cùm Ministri terrenis solicitudinibus

oppressi in comportandis pro liberorum gregibus alimentis,& in opibus accumulandis desudare debeant, ad barbaros, quales sunt Turcæ,Indi,Iapones,Sinenses,per saxa, & sæuientes indomiti æquoris fluctus, cum exitio crumenæ suæ & aliorum penetrare ne laborent.

III. Quia opimum amat solum: quærit viridaria pratorum,opaca nemorum,aprica collium,in quibus.

pampineo grauidus autumno
Virgil. Georg. *Floret ager:spumat plenis vindemia labris:*
Et varios ponit fœtus.

Horret proinde inculta Indiæ loca: & vel perpetuis damnatas frigoribus terras, vel immodicis solis ardoribus excoctas, vel denique naturæ inuidia steriles, abominatur. *Sic* BOTERVS p.3.Relat.lib.1. *reddens rationem,cur heresi impunè grassante non adeò corrupta sit Noruegia , regio frigosa & infrugifera. Prædicantes,inquit,Bacchi & Veneris Mysta pinguia quærunt loca,non secus atq; septem illa vacca & macie confecta,* Gen 41.*quæ tantùm in locis virentibus pascebantur.*

Pers. Sat.4. *Et rectè sanè quoniam pamphagis ac philogastris*
Istis,summa boni est vncta vixisse patella
Semper,& assiduo curata cuticula sole:
ac vt sanguine in adipe tandem exuberante
Idem Sat.1. *Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.*

Quia

Quia vt tenerrimè vitam ſuam diligant, & maioris eam quàm Fidem ac religionem æſtiment, (*vt dicitur Monito* 7.) permittit ac præcipit. Adde odioſum Deo & cœlitibus hunc noſtrum videri zelum, quòd duarum expeditionum in regiones barbaras inanis & ridiculus exitus abundè declarare videtur. in quarū prima vix noſtri è portu egreſſi à Luſitanis intercepti ſunt, & diriſſimè cæſi, inedia quoque penè conſumpti ad deſolata conſiſtoria ſua redierunt. In altera verò Richerus in Occidentalem Indiam quidem appulit; ſed nec vnum barbarum in ſagenam Euangelicam compellere potuit.

Vide CHAVASIVM de notis veræ Religionis lib.2.cap.2.§.5.

Ad extremum, quia in gentilium & paganorum terris Thaumaturgis opus eſt, qui nouæ Fidei dogmata vitæ ſanctimonia, & cœleſtibus miraculis conſignent: vt opera quæ faciunt ipſa de illis teſtimonium perhibeant: quales non nouit ſchola noſtri Caluini; qui hoc etiam olim attentans, quam lamentabilem cataſtrophen rei viderit, teſtatur *HIERONIMVS* Bolſecus cap.1. 2. & *BOZIVS* de ſignis Eccleſiæ Dei, lib.4.cap. 2. *Nec inuenies apud Caluiniſtas, cui à virtute ſuffragium, aut à ſanctitate calculus adhæreſcat; cùm quæuis etiam electorum opera Caluino ſordes ſint, peccata & inquinamenta vt dicetur* Monito 7. generali.

Relinquatur hoc igitur Papistis,& maximè Iesuitis;gaudeant isti hoc zelo, qui macerari ieiunijs,duritia fatigari, cõtinentia corpus stringere,& Christi amore à concessa naturæ fruge abstinere non recusant. Nec illis hunc zelum inuideant Caluinistæ. Satis sit Caluinismo nostro sedem ac domicilium suum in regionibus,vrbibus,& oppidis christianis ac catholicis collocasse.

Ita se rem habere docet ipsa praxis & experientia quotidiana. Videri tamen aliquid potest in libro IACOBI *Zahorovvski Caluinista suprà* Monito I. cit. *& in* CHAVASIO libro citato. *Hinc preclarè* TERTVLLIANVS de præscript. *ait: Hoc est hereticis negotium, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi: hinc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur: nostra suffodiunt, vt sua edificent.*

VI.

DISPVTATIONES DE FIDE PVBLIcas, maximè cum Iesuitis, etiamsi prouocentur Ministri Euangelici omnino declinent: nec in ijs comparere præsumant.

NVsquam tales publicæ disputationes Euangelicis contra Catholicos maximè

mè verò Iesuitas, cesserunt cum honore & fructu vt testatur copiosè Germania & Polonia. Ideo meritò prohibentur Ministri Euangelici, ne inuitati etiam præsumant cōparere, & officium disputandi acceptare. Et hac prohibitione, vtpote legitima, quam à Pastoribus & Superintendentibus suis habent, quibus ipsi tanquam oues parere necessariò debent, excusabunt se apud Catholicos. *Ita fecerunt Lublini anno superiore, prouocati Ministri Caluinistarum à PP. Societatis IESV, ad concertationem publicam. cui tanquam moderatores & pacis custodes aderant omnes supremi tribunnalis Iudices. Sub ipsum enim tempus assignatum disputationi submiserunt duos Nobiles, qui eos coram toto illo conuentu cur non comparerent, & disputationi se non sisterent, eo modò, quo iam audiuimus purgarunt; sed friuola excusatio ab omnibus risu excepta fuit. Hoc similiter anno amicè ab ijsdem Patribus in arenam Theologicam Posnaniæ deuocati, vt in publica disputatione suas de controuersis Fidei capitibus tuerentur sententias, Catholicas oppugnarent, acceptatis assertionibus, prouinciam hanc paulò post subdolè declinarunt: ita vt non sit repertus quisquam ex agmine tanto, qui in Theologicis castris probatus tiro fuerit.*

Ausus adire viros, manibusq; inducere castus.

VII.

NON TANTI NOBIS FACIENDA *est Fides nostra Euangelica, vt pro ea vitam exponere, aut carceres subire debeamus.*

HOc Monitum Euangelicorum esse proprium, res ipsa testatur. Cur *enim ad Ethnicos reformatum ac purum omnino Euangelium non deferunt?* Cur *Papistas prius seminare apud eos zizania permittunt? An non verentur, ne semente apud eos facta non tritici, sed loliĳ, irrigationes Pontificĳ suas adhibeant (vt modo faciunt ipsi in agro Dominico) quo in herbam semen erroris & impietatis pullulans, vbi in culmum duruerit, in aristam denique & spicam plenam contagio maturescat?* Cur *Romam, Neapolim, Hispaniam, & Lusitaniam, vbi Papismus, & inquisitio viget & feruet non adeunt? Denique cur, cùm in* Catholico *Regno cõfederationẽ in causa religionis à quopiam* Catholico *dãnari audiunt, tãtopere timent?* Certè *si verã Fidẽ haberent; vel eã quã habent, maioris quàm vitam facerent; zelo Fidei, salutis animarum, & honoris diuini incenderentur; neque tot animas pretioso sanguine Christi redemptas, aut superstitionibus Papisticis, aut erroribus Paganorum implicatas miserè perire, & in barathrum ad pœnas æternas decidere, siccis oculis aspicere possent. Vide si placet* CHAVASIVM loc. cit. Monito 5. *de zelo frigidissimo Caluinistarum disputantem.*

VIII.

VIII.

QVAE NAM SINT FVNDAMENTAlia, seu essentialia Religionis Euangelicæ, nunquam declarentur.

NODVS hic, velut alter Gordius perplexus est, & ad soluendum difficilis, imo quamuis solutioni nulla difficultas obstaret, tamen omnino periculosus. *Non semel verbis & scriptis clarè & disertè docuerunt hæc duo Caluinistæ: primò Caluinismum in omnibus fundamentalibus & essentialibus Religionis seu Fidei, conuenire per omnia cum Lutheranismo, vt ostensum est* Monito 1. *Secundò, vniuersam Ecclesiam Christi veram in alijs quidem rebus Fidei ac Religionis errare posse, in essentialibus non posse, quod colligitur ex* CALVINO libr. 4. Institut. cap. 7. §. *11. 12. 13. 14. 15.* (*quamuis alibi, vt ipsi moris est, contrarium doceat*) *similiter ex minore institutione citata apud* BELLAR. cap. 14. de Ecclesia, cap. 8. §. 146. 148. 149. ac 150. *& ex* IACOBO *Zaborovvski, qui libro supra citato probat etiam Ecclesiam primitiuam tempore Apostolorum in rebus Fidei errasse. O fragilem columnam, & debile firmamentum veritatis! quibus tamen titulis Ecclesiam Apostolus insigniuit: denique ex alijs Caluinistis, à quibus nō semel audiuerunt Catholici, cùm eis Ecclesiæ Caluiniana in Fidè errores obijcerent, Ecclesiam errare non mirum* 1. Tim. 3.

 esse,

esse, cùm sicut Luna non potest esse sine macula, sic nec vera Christi Ecclesia in ijs rebus Fidei, quæ non sunt omnibus necessariæ ad salutem, sine errore esse possit. His verò duabus propositionibus concessis omnino definire ac statuere Caluinistæ, vel non possunt, vel nolunt, quænam sint vniuersè fundamentalia & essentialia Fidei Christianæ, quæ omnibus sufficiunt ad salutem; ne cogantur, vel negare apertè Lutheranos habere veram Ecclesiam; vel affirmare apud Catholicos quoque Romanos eandem reperiri. Et ideo salubre ac ingeniosum est hoc Monitum. Hæc fundamentalia seu essentialia dicunt Caluinistæ Monito suo 9. *restituta esse à Luthero: & sic per illum veram Ecclesiam Christi, impulsu spiritus, & auxiliantibus sacris literis à corruptelis, quibus Sathan eam (vt loquitur CALVINVS* lib. 4. Instit. cap. *1. §. 1.) & omnia quæ ad salutem nostram à Deo destinata sunt, in Papatu adulterauerat, reformatam, ac repurgatã fuisse, non tamen integrè omnino; quare & in suprà citato carmine ad BEZAM canit BAVDEVS Caluinista:*

Quis silebit hic Lutheri robur inuictum nimis?
Ille tempestate nostra primus extulit facem
Veritatis.

Et alibi in CALVINI & BEZAE laudes ebria arundine excurrens inquit:

Tuq; Caluiniq; pectus, maximi duces duo,
Vindicesq; veritatis corda vinci nescia, &c.

Sic tria Europa nostra portenta veritatis facem extule-

extulerunt BAVDEO:*cùm tamen in primis Fidei capitibus adeò pugnent: vt nullũ gladiatorũ par adq; infestis armis veterũ ac nostra memoria concurrerit.*

IX.

QVID FACIENDVM SIT, NE ECCLESIA *Caluiniana conuincatur esse synagoga Diaboli.*

COncilia Oecumenica antiquissima quamuis, quæ Caluinissimo aduersantur damnanda. I.

Omnis auctoritas antiquorum Patrum respuenda. II.

Vide RESCIVM *fusè hoc describentem,* lib. citato, ca. 8. Titulo *Euangelici Patrũ hostes.*

Asserendum Patres in plerisque capitibus Fidei ac Religionis Christianæ errasse; genuinum Euangelij sensum obscurasse; anilia probasse vota; docuisse falsissimas sententias. *Ita* CALVINVS li. 2. Instit. ca. 2. §. 4. & ca. 3. §. 7. & li. 3. c. 4. 5. & 11. §. 15 *quare & ab illis in multis punctis aphorismo illo citatis se recedere apertè fatetur. Idẽ dicunt & faciunt asseclæ ipsius, vt videri potest* in eodẽ aphorismo. *atq; apud Resciũ* li. 1. III.

Sacra scriptura deprauanda. *Vti fecit Theod. Beza in verbis* Luc. 22. *Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine; quod pro vobis tradetur. Vide* Aphorismum Caluinist. 16. IV.

Patrum testimonia si quis illis contra Papistas vti vellet, detruncanda, nec fideliter citanda: & si fieri potest, facienda ex nigris candida, ex candidis atra. *Ita fecit* PHILIPPVS V.

Plessem

Plessæus Caluinista in opere de augustissimo Eucharistiæ Sacramento, quod ex SS. PP. testimonijs se compilasse affirmabat. in quo loca quadraginta peruersè citata ab Ebroicensi Episcopo collecta ad Christianissimum Galliarum Regem HENRICVM IV. transmissa sunt. Auctor deprehensus in flagrāti crimine scriptum tot erroribus refertum ad incudem reuocauit; sed minùs auspicatè. quare & postea in Synodo Gapiensi alius quidam Ministrorū incassum tamen hoc Augiæ stabulum repurgare conatus fuit.

VI. Si instabunt Papistæ, ecquis ita quo ad omnia omnino dogmata crediderit antè in mūdo, aut docuerit, vti Caluinus, & sectatores eius, prouocent ad solos Apostolos & Prophetas. Quod si vrgeant, vt alios qui post tēpora Apostolorum vixerunt nominent, respondeant vel fuisse incognitos hominibus, soli autem Deo notos, (*quod tamen nescio vnde istis constat. & mirum est, incognitos illos fuisse illis, qui tunc vixerunt & delituisse sicut alterum Eliam in spelunca, dixerim ego in Aphannis, aut vbi cerui abijciunt cornua.* vel cognitos quidē, verumtamen quinam illi determinatè fuerint à nullo notatos; vel denique nullos fuisse; & Ecclesiam Christi, quæ erat penes Papistas, per multos annos errasse; ac in apertā idololatriam incidisse. *Hæc communis vbique Caluinistarum doctrina & responsio.*

VII. Denique si errores circa Fidem, Caluino, Bezæ,

Bezæ & alijs primoribus, ita vt defendi non possint, obijciantur, respondendum est illos homines fuisse. *Ita nunc & loquuntur, & scribunt huius sæculi Caluinistæ quasi ipsi sint Angeli, aut aliqui veri & proprij dij, non tamen ab æterno, nec infiniti, nec naturam aut essentiam diuinam habẽtes, qualem Deum huius sæculi RACOVIENSES Ariani Christum esse per summam impietatem comminiscuntur.*

X.

CAEREMONIAE QVAS PAPISTAE, IN templis suis exercent ex verbo Dei impugnentur: quod si vicißim nobis etiam aliquæ earum meritò, vtpote in Ecclesia nostra vsurpatæ, obijciantur, qualiter euadendum.

QVandoquidem solum verbum Dei est norma & regula Fidei nostræ, ac cuiuscuis cultus externi, qui Deo à nobis exhiberi debet, ideo omnes cæremonias, & cultus huiusmodi qui verbo Dei non consentiunt, id est nullo mandato Dei approbantur, penitùs abrogentur; ac tanquam superstitiones explodantur; & Romana Ecclesia vel ob id maximè acriter impugnetur, ac traducatur. *Ita CALVINVS* libro 4. Institut. ca. 1.5. §. 19. & lib.

lib. de necessitate reformandæ Ecclesiæ. *&* *DD. Status in Hollandia in Synodo Vltraiectina in Prologo suarũ ordinationum. Anonymus etiam Monitor* Monito suo 5. & 9. *Denique omnes alij Caluinistæ quos potissimùm his locis S. Scripturæ inuenies defendere & stabilire hunc suum errorẽ:* Deut. 4 *Non addetis ad verbum quod vobis loquor. Quod* Ibid. 12. *præcipio tibi hoc tãtùm facito; nec addas quicquã,* Isaiæ 29. *nec minuas* & *Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis, ideo ecce ego addam.*

Opus tamen est hîc consilio & arte. nam similes cultus externi, id est mandato DEI non approbati & in Ecclesia quoque Caluiniana vsurpari soliti, obijci nobis possunt; quales sunt illi quos circa Baptismum, Eucharistiam, & Matrimonium instituit Caluinus in formula Sacram. administr. v. g. Paruulum non baptisandum nisi publicè in cœtu fidelium, & pro publica concione, vt tota Ecclesia *(sicut loquitur libro 4. Instit. ca. 15. §. 19.* velut teste, spectante & orante super eum, Deo offeratur. Psalmum cantandum esse cũ Eucharistia distribuitur, aut locum scripturæ, rei quæ Sacramento designatur congruẽtem atque conuenientem, clarâ & elata voce recitandum. Cùm verò Matrimonium celebratur, à Ministro publico, postquam sponsus & sponsa in Ecclesia se stiterint, hæc præmittenda: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Amen.

Tales

Tales sunt cæremoniæ quas DD. Status Hollandiæ circa Baptismum & Cœnam Domini præscripserunt. Denique talis est illa quam Vilnæ Anno 1589. imò & alibi iam postea nostri Euangelici fabricarunt, vt Cœna Dominica à stantibus non sedentibus sumatur.

Ad ista ergo omnia respondendum est: Hæc esse adiaphora. (*sed cur quaeso & Papistis similia non sunt adiaphora?*) vel non astrictos nos esse in his ad nudam sollus Scripturæ literam, etiam traditionem & auctoritatem Ecclesiæ apud nos valere. (*cur ergo tantopere contra Papistas propterea debacchamini?*) vel denique dicendum, eos qui prædictas cæremonias instituerũt homines fuisse; & Ecclesiam Christi in his errare posse, nec tamen desinere veram esse.

Hoc vltimum rector cuiusdam Caluinistici Gymnasij constrictus argumentis mihi pro finali responso dedit. Possumus hic occinere illud: Et non erant conuenientia responsa eorum; ita planè sicut illorũ duorum testium falsorum, qui Christum coram summo sacerdote inuidiosè accusabant. Non esse verò ipsosmet Caluinistas immunes ac liberos à superstitionibus, quas Catholicis affingunt, luculenter ostendit CHAVASIVS supra citatus lib. 2. c. 7.

§. 4.

MONI-

MONITA PVBLICA CALVINISTARVM.

I.

QVALES SE PRAESTARE DEBENT Caluinistæ, cùm in aliqua prouincia, regno, aut ciuitate superant numero & potentia Papistas, ac soli rerum potiuntur.

I. EXercitium Religionis Catholicis non permittant.

II. Libertatem credendi prohibeant, eamque bona conscientia concedere, cùm hoc sit contrarium verbo Dei, & dogma diabolicum, se nequaquam posse asseuerent.

III. Confœderationem in causa religionis, vt rem illicitam, & cuiuis Reipublicæ periculosam proscindant, & rationibus impugnent.

IV. Duas Religiones diuersas in vno Regno, aut ciuitate, vt nec duos in mundo soles, sine graui

grani scelere & periculo permitti nequaquã posse, ostendant.

Seuerissimis pœnis Catholicos, si Religionem suam profiteantur, coerceant, & coerceri debere à Magistratu doceant. V.

Fusè ista omnia ostenduntur in Examine Pacati Impacati ca. 7. & 8. *Docet & THEODORVS Beza* in ep. Theolog. pag. 20. *Et CALVINVS* in epist. 87. ad Protectorem Angliæ.

Inquisitionem contra Catholicos instituant. *Ita habet edictum Generalium Ordinum Fœderatorum Belgij Prouinciarum, pro religionis pace & libertate. Ex quo constat seueriùs longè in Hollandia, & Zelandia in Catholicos à fœderatis inquiri, quàm inquiratur in Hispania ab Hispanis, vel Roma ab Italis contra Caluinistas aut Lutheranos.* VI.

Ad officia publica & magistratus ciuitatis Catholicos non admittant. VII.

Ita facere Torunenses & Gedanenses res ipsa loquitur. Legat tamen qui volet 6. caput Resp. Georgij Tyszkievvic Societatis IESV, *aduersus libellum PATROCINIVM VERITATIS falsò inscriptum.*

II.

QVID FACIENT, VT IN TALIBVS prouincijs, regnis, aut ciuitatibus Caluinismum Papistæ velint, nolint, amplectantur.

EXequentur ea omnia quæ Monito præcedenti, recensita sunt: potissimùm autem hæc sedulò ac diligenter præstabunt:

I. Ecclesiasticos Catholicæ religionis publico edicto sub pœna capitis solum vertere, & regnis ac ciuitatibus, &c. excedere quamprimum iubebunt.

II. Qui illos hospitio acceperint, vel occultauerint, vel ab illis Baptismum aut Matrimonium susceperint, in ære pariter & cute luant.

III. Exigent à singulis Papistis iuramentum fidelitatis. quod contineat Pontificem non esse caput Ecclesię: nec vllam in Reges, Principes, aut Magistratus sæculares habere potestaté.

IV. Interdicant, ne tam in vrbibus, quàm in agris, vllus siue inquilinus, siue aduena, in vlla Ecclesia, aut priuatis domibus, vel in fundis, nauibus, cymbis, vllum conuentum habeat vel colligat ad Missas, exhortationes, lectiones faciendas aut audiendas, vel ad alia exercitia Papisticæ superstitionis peragenda.

V. Qui prædicta transgressus fuerit, pœna mulctetur pecuniaria, vel exilij, addita aliqua corporali afflictione. *Vide EXAMEN PACATI* cap. 7. & 8. *& TITVLOS Caluinistarum* tit. 9. & 10. *THEATRVM crudelitatis Caluinistarum, vt non solùm ex Anglia, Hollandia, Zelandia, sed ex Scotia quoque, Gallia & Germania exempla huius rei habeas.*

Com-

Compellant eosdem pœnis grauibus, vt conciones quæ in templis à Ministris nostris haberi solent, sedulò frequentent. VI.

Ita fit non solùm in Anglia, Hollãdia, Zelandia, &c. sed etiam in nostra Polonia & Lithuania, à Dominis aut Nobilibus in eorum oppidis aut pagis.

III.

QVAE COMMENDATA ESSE DEbent Euangelicis in Concionibus, quas ad populum habent.

VT in sacerdotes Papistarũ, Monachos, Principes ac Reges Catholicos, in Sanctos ipsos, maximè verò in Papam, & Iesuitas, semper & vbique & quantum possunt inuehantur; conuitijs eos onerent & traducant. I.

Reperies hæc omnia in Aphorismis Caluinistarum à 7. Aph. vsque ad 13.

Vt nunquam omittant occasionem, vel apertè mentiendi, vel verum prætereundi, si id Caluinismo conducere, & Papistis nocere iudicauerint. II.

Ita decretum in Synodo Montis Albani Anno 1584. quam citat RESCIVS cap. 5. titulo *Conuenticula Euangelica* folio 163.

IV.

SACRAM SCRIPTVRAM SEMPER *allegent Euangelici, siue seruiat proposito, siue non.*

HOc perpetuò Euangelicos habere in ore, hoc omnes illorum chartas loqui, nimis certum est. Vbique enim ad verbum Dei, hoc est, ac proprij cerebri iudicium appellant: purum & putũ Euãgeliũ apud ipsos esse, ad raucedinẽ vsq; vociferantur & clamant. Quàm verò apposité sacram scripturam interpretentur, & ex ea argumententur, videatur quæst. 6. & 7. in Titulis Caluinist. tit. I. *Et SANCTES ac HENRICVS VITVS quos citat RESCIVS* in atheismis Euang. de scrip. fol. 12. *Hic duo exempla, quæ me præsente contigerunt, attexere sufficiet.*

Quidam Caluinista de Ecclesia catholica in concessu Nobilium querebatur: & eam hoc nomine acriter impugnabat, quod S. scripturæ lectionẽ Christianis contra expressum Dei mandatum prohiberet. Cui cùm respondissem non prohibere: & vicissim petyssem vt ostenderet vbinam tale mandatum Dei extaret: protulit is verba illa ex cap. 5. S. Ioan. Scrutamini scripturas. *subintuli: Pharisæis hoc dictum esse à Christo non populo; multò minùs nobis; & non per modum præcepti. Vnde enim hoc constat? cur non per modum consilij? An quia*

quia verbo imperatiuo vtitur? Sed hoc leue est indicium, & CHRYSOSTOMVS ibi, CYRILLVS lib. 3. c. 4. IRAENEVS lib. 4. c. 23 *putant verbum illud indicatiuum esse, ac exhortatorium. Et certè Græcè & Latinè vtrumque esse potest. Nec de vniuersa scriptura dictum, sed de ea tantum, quæ in veteri lege erat. & quā Pharisæi legebant, vt patet ex verbis immediatè sequentibus: Quia vos putatis in ipsis vitam habere. Denique non dictum legite, sed amplius quidpiam; Scrutamini, id est diligēter euoluite: excutite: expēdite: & profūda illorū mysteria penetrate: nec in litera hærete: sed ad spiritū transite. Hoc verò an omnibus fidelibus existimaret faciendum esse ex Christi mandato, cùm sciscitatus essem, ait: Atqui habetur in scriptura:* Quod vobis dico, omnibus dico. *Ingeniosè sanè (quasi hoc probandum fuisset, quod dictum Apostolis, dictum nobis; sed & suppreßit more Caluiniano verbum, quod immediatè sequebatur: Vigilate) Conclusi tandem; Bene est. Vobis igitur dictum quoque:* Vos ex patre Diabolo estis. *& illud aliud in eodem, quod citauerat, cap. Ioannis,* Cognoui quia dilectionem Dei non habetis. *Hoc idem præceptum de legenda sacra scriptura à Christo omnibus Christianis datum Anonymus Monitor* in suo 2. Monito *clamat; & Euangelicis suis inculcat; ac eodem planè testimonio scripturæ ex S. Ioan. suam sententiam fulcit ac probat. Hinc, vt video, omnes Caluinistæ sub præcepto Dei tenentur literas discere, vt præceptū*

de legenda S. scriptura adimplere poßint: quod ipsis Dî vortant optumè.

Alia quadam vice in corona Magnificorum Minister maximis ampullis astruebat Papistas expressum Dei mandatum de ineundo Matrimonio violare; cum coniugia suis sacerdotibus prohibent. Probauit hoc ex verbis Christi Matth. 19. *Non legistis,* quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? *Ergo quid? Ministro cereuisia exsuxit cerebrum? Non. Sed sacerdotes Papistici matrimonij vinculis illigari debent, cùm illis verbis præceptum de nubendo omnibus datum contineatur? Argutè sanè. Petij tamen, an Christum omnia præcepta Dei seruasse crederet? Annuit, cùm* Matt. 3. *dixerit de se*: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. *Ergo præceptum de ineundo Matrimonio, saltem semper obligans, in scripturis non extare subintuli, cùm Christus illud nequaquam impleuerit, imò laudauerit.* Matth. 19. Eunuchos, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. *Et sic sesquipedalis nasi pondus trahens Minister subticuit.*

V.

QVOMODO DISPVTABVNT DE FIde Euangelici cum Iesuitis, Monachis, aut alijs Sacerdotibus catholicis, cùm eos captos in carceribus habebunt.

QVia non est quod iam metuant tunc sibi vel Caluinismo Ministri nostri, ideò ipsi vltro (de quo non dubitamus) prouocabunt aduersarios ad certamen: procliue enim est hostem captum debellare & proterere; vt tamen omnino securi sint de bono successu concertationis, pridie illius iubeant eos, quibus cùm congressuri sunt, equuleo, aut alio genere tormenti excruciari; fame ac siti vexari; & die sequenti exhaustos ac ieiunos, catenis præterea onustos, vt vix ob ingens ferri pondus quo premuntur, mouere se possint, populo spectante, & cachinnos ingeminante ad suum tribunal producant.

Ita factum est cum Edmundo Campiano Societatis IESV in Anglia, quem immaniter in equuleo distractum & excarnificatum, ita vt corpus suis quasi membris auulsum, summis pedum tantũ manuumqúe neruis haereret, noua consuetudine ad disputationis certamen ad publicam aulam traxerunt, & insuper iniquam ei conditionem præscripserunt, nihil vt interrogaret: nihil aduersus eorũ placita obijceret: sed solùm respondentis partes sustineret; vt vel sic, in quem manifestorum criminũ tela defigere propter vitæ innocentiam non poterant, saltem tot iam tormentis attritum prosternerent, quod in Phalarismis Euangelicorum apud RESCIVM fol. 499. *fusiùs descriptũ videre licet. Similia quoq; facta sunt in Scotia ante duos annos, cum Ioanne Ogilbeo Societatis* IESV, *quem alapis bene prius perplutum, & pugnis crude-*

liter contusum, ac penè comminutum, in aulam Episcopalem ad disputationẽ Scotici Prædicantes euocarunt, & non minùs cordatè, quàm doctè respondentem audiuerunt, donec post viginti sex horarum inediam superueniens paroxismus (cùm febri enim conflictabatur) tumultuosam hanc concertationem dissolueret; vt vita eius Ingolstadij recusa hoc anno luculenter testatur.

VI.

QVID FACIENT EVANGELICI, CVM Catholici Romani nolunt Fidem suam negare, sed pro ea mortem oppetere parati sunt.

I. OFferant illis clementiam & gratiam Magistratus, Regis, aut Principis; possessiones promittant; si Fidem suam deserere, aut iuramentum fidelitatis *de quo hic Monita 2. §. 3.* admittere voluerint.

II. Quod si hæc non successerint, dicant illos crimen læsæ maiestatis incurrisse, & nõ propter Fidem, sed propter proditionem ac perduellionem, mortem infamem ac atrocem esse promeritos; idque populo palàm etiam per præconem denuncietur; illis verò ipsis locus ac tempus ad defensionem sui denegari debet. *Ita fit in Anglia & Scotia. Vide* THEATRVM *crudelitatis Caluinist. & vitam* OGILBEI *supra cit. Cui si eiurata Fide catholica ad hæreticorum partes transire, & Caluini dogma-*

dogmata sequi vellet, Præposituram in Messet cum nobili matrimonio, insuper & Regis Serenißimi munera iudices polliciti sunt (an autem talia perduellibus promittantur, iudicet prudens lector) sed cùm hæc athleta Christi risu exciperet, fictis obrutus criminibus, & ab iniquis iudicibus damnatus ad laqueum gloriosam inter carnificum manus vitam finiit.

Sed recens exemplum huius anni referam. Quarto Idus Martij Eboraci in Anglia Sacerdos quidam secularis, nomine ATCHINSONVS, *septuagenarius iam, qui triginta annos & eo amplius in Eboracensi agro colendo consumpserat, incredibili animi ardore, ac laborum patientia, pedes obeundo Catholicorum domos, vt plurimum de nocte, omnesq; probi ac gnaui Sacerdotis partes implendo; ab hæretico homine ex suspicionibus quibusdam proditus iudicibus, ab ijsdem comprehensus fuit. Hunc non ob aliam causam, quàm quia Sacerdos esset (quod tamen certò illis non constabat) ad supplicium sine teste, sine confeßione propria damnarunt. Trahæ igitur impositus, ad patibulum raptus, iniecto gutturi laqueo strangulatus est, ac propè semiuiuus in frusta dissectus, cætera Anglicanæ laniena passus est tormenta. Obtulerunt tamen ei in loco ipso supplicij viuendi conditionem, quam ille magno animo recusauit, si nempe iuramentum fidelitatis admitteret. Cùm autem animaduertissent iudices minùs populo probatam fuisse formam iudicij, vtpote quæ testibus,*

bus, confeßione rei, & ceteris requisitis caruisset; vt iniustitiam colore aliquo obtegerent, post mortem iam illius sacerdotis producunt hominem nequam, qui inductus precio iurauit, Sacerdotem illum fuisse perduellem, & à se sacrificantem conspectum. Exceptus fuit ingēti iudicum applausu, quasi egregiè iustitiæ parentasset.

Ob eandem causam hoc ipso anno Lancestriæ alium Sacerdotem secularem IOANNEM *Thulesium sexagenarium cum socio* IOANNE *Vrenni textore eodem supplicio affecerunt; post quorum mortem, magnus in populo adstante rumor exorsus fuit, maximè contra eum, qui Sacerdotem cōprehenderat, quem Puritanus quidam, id est Caluinista impurus, sedauit asserens eum non religionis causa, sed quòd perduellis esset necatum fuisse. Cùm verò inde plebs abijsset in frusta ambo secti sunt, & membra in plateam coniecta quinque diebus inhumata manserunt: neque postea quid de illis actum resciri potuit; cùm ad locum in quo cōmixta simul iacebant, nulli pateret accessus. Hæc sunt vera clementiæ Caluinianæ, & libertatis credendi argumenta, quæ tantopore deprædicant.*

VII.

NON SINT MVLTVM SOLLICITI *Euangelici de bonis operibus faciendis, aut accumulandis.*

Quia

QVia bona opera ſunt impoſſibilia;cùm ex Dei,per cuius tantùm adimpletionem ea eſſe poſſunt, ſit impoſſibilis. *Ita CALVINVS* libro 2. Inſtitut. c. 7. §. 5. *& in Antidoto Concilij Tridentini, verius dixiſſet in Toxico*, Seſſ. 5. ca. 12. I.

Quia omnia opera iuſtorum ſunt ſordes, inquinamenta, mera iniquitas, & quę non vitam, ſed damnationem æternam promerentur. *Ita idem* CALVINVS lib. 3. Inſtit. c. 12. §. 4. & c. 14. §. 9. & 11. & cap. 15. §. 3. & in cit. Antid. 5. 6. c. 22. Quis autem fidelis, niſi ſtultus, ſolicitus eſſe velit, de ſordibus, inquinamentis, & meris iniquitatibus, quibus damnationem æternam promereatur, faciẽdis aut accumulandis? *Scio conari modò Caluiniſtas quoſdam purgare Magiſtrum ſuum à tam turpi errore, cùm aiunt* Caluinum non aliud illis verbis intellexiſſe ac docuiſſe, quàm quod Gregorius Magnus (quem nullus Papiſtarum hallucinatum in re tanti ponderis affirmabit) *Lib. 9. Mor. c. 2.* intellexerat & docuerat, cũ diceret; Sanctus autẽ vir (*ſcilicet Iob, de quo loquutus fuerat in ſuperioribus*) quia omne virtutis noſtræ meritum eſſe vitium conſpicit, rectè ſubiungit; Si voluerit contendere Deus cum eo, non poterit reſpondere ei vnum pro mille. II.

Sed non minus inſcitè quàm ſubdolè in verbis S. Patris

Patris patrocinium causæ Caluini quærunt. Primò, quia S. Doctor dicit quidem illud, quod vidimus; sed addita expressè hac limitatione, (quam rudis Caluinus nullibi apponit: & quam asseclæ ipsius pro more suo & genio abijciunt, cùm verba S. Doctoris citant) si ab interno arbitrio districtè iudicetur. Deinde, non affirmat S. Pontifex omnem virtutem nostram esse vitium, quod est in quæstione, & quod asseuerat Caluinus; sed omne meritũ virtutis nostræ esse vitium (idest deficere in aliquo, quod tamen non tollat simpliciter rationem meriti, vt idem S. Pater in hoc eodem libro, & alibi clarè & disertè testatur, & docent Theologi in 1. 2. D. Thomæ. *quod longè diuersum est à primo. Aliud enim est virtus seu honestas operis; aliud meritum, quod nõ nisi in honestate fundatur: vt etiã docet Philosophus in Ethicis; & aliud est facere opus virtutis, seu honestum, ac proinde quod non sit peccatum aut vitium; aliud verò facere meritoriũ, aut honoris, aut laudis, (quæ duo virtuti ex se debentur) aut gratiæ Dei, & vitæ æternæ: imò possunt ista aliquando ab inuicem seiungi, vt nimirum sit opus virtutis, nec tamen meritorium gratiæ Dei aut vitæ æternæ. qualia opera docent Theologi cum* D. THOMA 2. 2. quæst. 10. art. 4. *posse fieri à peccatoribus in lethali existentibus & ab infidelibus, quod etiam colligi potest ex Apost.* ad Rom. ca. 2. versu 4. *vbi docet gentes ipso natura ductu, quamuis gentilitia labe viribus debilitatis ac fractis, non tamẽ extinctis, bonas aliquas functiones*

atque

atque honestate præditas actiones exercere posse, vt asserunt; CYPR. lib.3. ad Quirinum cap. 99. AVGVSTINVS lib. de Spiritu, & litera cap. 28. HIERONYMVS ad Algas. quæst. 8. CHRYSOSTOMVS *& alij. Præterea, non hoc ipso quod aliquid dicitur, aut est vitium, continuo etiam est peccatum, cùm vitium seu defectus possit esse & naturæ, & artis, & id similiter quod à nobis fit indeliberatè: peccatum autem sine ratione voluntarij esse nequit. Accedit, quod nequaquã S. GREGORIVS asserat esse vitium tale, quod dãnationẽ æternã promereatur; quod tamen disertè docet Caluinus. qui ideo venit in hanc sententiã, quia contra expressam sacræ Scripturæ auctoritatem arbitrabatur originalem maculam per regenerationis lauacrum non elui, sed tantùm tegi.* (lib.2. Instit. cap. 10. §. 8. & lib. 4. cap. 15. §. 10. & in Antido. Tridentini Sess. 5.) *ac proinde omnia iustorum opera ea infici ac inquinari; quod figmẽtum Sancto Doctori affingere caluinisticè est calumniari ac mentiri. Ad extremum, Sanctus ille non ideo dixit illud, vt peccata vel sua, vel suorum excusaret, aut sibi & alijs blandiretur, (quod tamen facit sceleratus Caluinus) sed vt sanctissimũ quemque non altum sapere, sed humiliter in conspectu Dei de se sentire doceret. Impium proinde est dogma Caluini, & Scripturæ, Patribus ac rationi contrarium.*

VIII.

forsan ituris, mandare non erubescant, in gratiam anonymi qui eadem se cum suis naui vehi hic maximè ostendit, missis plurimis, quæ de castitate Ministrorum Caluinianæ scholæ in libris etiam nostro idiomate conscriptis extant, referam vnum in hac materia exemplum. In Lithuania ante viginti & aliquot annos Synodo coacta Caluinistæ decreuerant, vt suæ doctrinæ præcipua capita vna cum Psalmis quibusdam Dauidicis, qui in cœtibus illorũ vbiq; ab omnibus decantari possent, vernaculo sermone typis descripta ederentur. Obtigit prouincia Ministro etiã Vilnensi STANISLAO ex Ostrolekà, alias SVDROVIO, opus concipit parit, dispergit. sed quoniã pronus in Venerẽ leno impurus non contentus vxore sua puellã Sophiã Volani filiã amore impotẽte deperibat; ne in charta minùs, quã intra cortinas impudicus esset, cantionẽ vnã & alteram acrostychis in eo libro repleuit & in suo, amasiæq; suæ nomine, vt in quibusdam Comœdiarum argumentis Plautus, turpis procus ludere non erubuit. Res à quibusdam deprehensa grauiter vti debuit accepta fuit, & vnum quidem Magnificorum scilicet Dominũ Ioannẽ Patz Palatinũ Mienscẽsem nonparum impulit, vt ad Ecclesiam Catholicam rediret; alijs verò Catholicis occasionem dedit, vt gomorrhæi huius Euangelij ex libro ipso licentiam Caluinistis exprobrarent (quod non semel me præsente fecit Magnificus Dominus Ioãnes Tyszkievvic Palatinus Brestensis) & pariter ostenderent Ministros extrito cœlitum pudore non Christum, sed scœnicam iam impudicitiam publicè profiteri. IX.

IX.

IESVITAS VBIQVE PRO IVRATIS hostibus habere debent Euangelici.

RVdis & imperitus nimis esset, qui huius Moniti rationes habere vellet. An enim ignorari potest Iesuitas vbiq; & semper hostiliter se nobis opponere?& nullos magis ac fortiùs ex Papistis, quàm illos hanc nouellam sectam nostram impugnare? Isti sunt primipilares πρόμαχοι Antichristi Romani, hi ante fores commune exitium Ecclesijs reformatis, immani conatu, verbo, scriptis, & factis machinantur.

I. *Ita DAVID Paræus Caluinista* in Oratione de Strophis Iesuitarum.

Adde. Quia astum politicum, futelas, fraudes, imposturas, sycophantias, dolos malos, quibus symmistæ nostri in Romanæ & Orthodoxæ religionis exitium tanquam vulpina pelle amiciuntur, si non soli, maximè certè Iesuitæ, prouincijs, regnis, orbi denique vniuerso detegere consueuerunt.

II. Quia Fidei nostræ dogmata, quæ à Caluini vbere diuite fluxu ad nos vsque dimanarunt, publicè ac priuatim, dictis, scriptis, maximo conatu, sine cessatione prodigi non solùm valetudinis, sed & vitæ impugnant, scindunt, lancinant; qui labor, quàm sit Caluinismo perniciosus, vel ipsa testatur Polonia, in qua modò ex tot Senatoribus

ac

ac Nobilibus, Caluini placitis olim imbutis; paucos alicuius notę ac nominis videmus superstites, qui inclinatam ac penè iacentem Religionem opibus, ingenio, lingua, calamo, contra tot veteranorum acies, in vnum penè Caluini caput instructas, tueri ac propugnare possint.

Quia iuuentutem, quã in Religione Catholica, & omni politiori literatura instruũt, hostiliter contra nos, & quasuis alias grassantes hæreses inflammãt ac instigant: & insuper certissimã ei viam ostendunt, qua è Fidei Catholicæ armamentario arma & tela necessaria contra nos petere & accipere possit. *Negare non possum valde copiosos & eloquentes esse Caluinistas in depingendis Iesuitis mendacia, conuitia, & calumnia quibus illos obruere conantur infinita. Plures etiã hactenus Iesuitæ necati sunt à Caluinistis, quàm à barbaris. Iam enim occisos ab illis numerant ex suis sexaginta septem. Vbiq; nimirum hoc curant Caluinistæ, vt eos aut violenta morte è medio tollant: aut ex prouincijs & ciuitatibus exigant: vel saltem calumnijs ac mendacijs veluti fluctibus oppressos infamiæ & boni nominis præsens naufragium inducant. Legatur* 10. & 15. Aphorismus Caluinist. & quæst. 8. 9. & 10. *MARTINI Becani Societatis IESV contra BATAVVM Caluinistam. Sed non est consilium aduersus Dominum, qui Societatem istam sub præsidijs sui hyparijs defendit à canicula maledicentiæ, &* III.

vt multitudine indies adauget, sic fama virtutis & eruditionis cohonestat.

X.

QVO PACTO EVANGELICI PECCAta sua & suorum excusabunt. Dicent:

I. LEgem Dei esse impossibilem, nec ab vllo hactenus (*notentur hæc verba,*) quãtũuis sancto seruatam esse, aut deinceps seruari posse. *Ita Caluinus.* lib.c. Moni. 7. §. 1.

II. Deum non iuuare ipsos (sicut & alios homines) cùm à sathana ad peccandum incitãtur; simulare tantũ se velle eos iuuare, re vera autem nihil minùs velle. *Idem CALVINVS* lib. 3. Instit. ca. 24. §. 13.

III. Deum ipsum occulta quadam vi mouere ipsos, impellere ac necessitate (sicut & alios homines) ad omnia flagitiorum genera perpetranda *Ita CALVIN.* libro 1. Institut. cap. 18. §. 2. *cuius etiam* num. 1. *verba sunt notanda.* A Deo, *inquit ille,* manat efficacia erroris, vt infideles mendacijs credant. *Hoc ipsum sentit, & Theodorus Beza* Aphor. 22. Sic autem agit, *inquit ille,* per instrumenta Deus, vt non tantùm sinat illa agere, non tantùm moderetur euẽtum, sed etiam excitet, impellat, moueat, & regat *Denique ZVINGLIVS (vt in ore triũ firmiter stet hoc portentorum mendacium)* in Ser. de prouidẽtia. Numen ipsum auctor est eius, quæ in nobis est iniustitia. *Colligitur hæc eadẽ doctrina*

doctrina & ex HIERONYMO *Zanchio Caluinista* lib.5. de Natura Dei cap.2. *quam non immeritò vt manifestè sacrilegam & blasphemam ipsi etiam Lutherani execrantur. Vide* CONRADVM *Slusselburgium* in Theol. Calu. & KRAKIEVIC in citat. Thesib. Monito 1. priuato, *qui ipsos Platonicos Deum coluisse meliorem, quàm modò colant Caluinistæ, asserere non dubitauit.*

Fidelibus, quales sunt Caluinistæ, non imputari à Deo peccata: & venialia illis esse, hoc est, digna veniâ. *Idem* CALVINVS lib.3. cap.4. §.28. *Quid mirum igitur si ipse Deus impellit eos, ac necessitat ad peccata?* IV.

Caluinistas nulla lege obligari: nec diuina, quia impossibilis est; *vt ostensum Monito* 7. ad impossibilia autem nemo obligatur: nec humana, quia ab omni iugo ac subiectione ex dono Fidei Caluinianæ liberi ac immunes sunt; *vt dictum est ex eodem Calu. in Monitis priuat.* Mon.1 §.4 *Et tamen Euangelici Caluinum hunc tam nefaria docentem audent publicè, voce, & scriptis appellare virum plenum spiritu Dei; & qui mediante scriptura Ecclesiam Christi deformatam à Papistis plenè reformauerit; & à fermento errorum & superstitionum prorsus expurgauerit. O extremam cæcitatem ac stultitiam!* V.

CONCLVSIO.

QVIS Christianus lectis his Monitis Caluinistarum priuatis aut publicis

35. Ps. & 52. & 31. non exhorrescet meritò, & non exclamabit contra eosdem cum Rege vate: *Non est timor Dei ante oculos eorum. Corrupti sunt, & abominabiles facti in iniquitatibus suis, non est qui faciat bonum. Astiterunt omni viæ non bonæ: malitiā autem non oderunt.* Rectè profectò de Caluinismo scripsit SMIDELINVS (sed non Clypeatus) contra GRINAEVM Caluinistam, & IOAN. Schutz *lib 50. Causarum. ca. 48.* Lutheranus vterque, Caluinismum, Arianismum, & Machometismum, fratres & sorores esse; tres caligas eiusdem panni; camerinā in quā multæ hæreses confluxerunt; denique vltimam Satanæ iram. Non habeo quod addam aut opponam. Valete Caluinistæ, & si sapitis, resipiscite.

Tu verò Catholice lector, qui vtpote spiritualis homo nosti non tantū mala execrari, sed & condolere facientibus ea: roga toto cordis affectu Patrem luminum per viscera misericordiæ ipsius, vt mittere velit lucem suam cœlestem his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes ipsorum in viam veræ Fidei & pacis Christianæ. Et scito (vt ibi desinam vnde exorsus sum) Monita priuata Societatis, si rem spectes, nihil in Fide erroneum, imò nec adeò fœda & abominanda in se continere delicta; vt ideo repudiari maximè debeant; sed dolis, tutelis, ac hypocrisi referta esse, & peruersam

qua

qua fiant ea, quæ præscribuntur (ita volente sycophanta qui ea confinxit, vt omnes actiones Patrum Societatis suspectas hominibus redderet) admiscere intentionem: hanc autem quomodo potest praxis indicare? vt vel hinc pateat, quàm futilis & triuialis fuerit Anonymi nostri probatio, cuius in præfatione mentionem fecimus. Verùm vt grauiùs adhuc castigetur huius impostoris, vel libido calumniandi, vel proiecta audacia, & credendi facilitas, placet proferre recens edictũ Ad. R. D. ANDREAE Lipski CustodisGnesnen S. R. M. Secretarij & Episcopatus Cracouien defuncto Pastore Administratoris: quo ille, ne plus innocentiæ periculi, quàm honoris esset, his fictitijs Monitis paulò antè recusis publicè ceruices ac lumbos viriliter confregit. Sic igitur se habet;

ANDREAS LIPSKI CVSTOS Gnesnensis, Cracouien. Plocen. Scholasticus, Secretarius S. R. M. ac sede vacante Episcopatus Cracouien. ADMINISTRATOR.

NOtum facimus quorum interest, vniuersis & singulis Cùm iniquorum hominum impietas, & hostis maligni astutia, nunquam à diuexandis hominibus Deo in veritate famulanti-

 bus

bus cesset; eosq; maximè impetat, qui quotidie magis ac magis eidem diuinæ maiestati placere, cultumq; eiusdem propagare pro viribus contendant; conatibus huiusmodi impijs hominum malignorũ vt nos pro Ecclesia Dei communi bono opponamus, ratio officij nostri à nobis exigit. Cùm igitur libellus quidam famosus, Monita priuata Societatis IESV *falsò inscriptus, primò quidẽ manu scriptus, & ex Hispanico (vti titulus ipsius præseferebat) Latinus factus: pòst impressus & typis euulgatus, ante duos circiter annos in ciuitate hac prodijsset; & à quibusdã malè (vti præsumitur) eidẽ Societati* IESV *affectis, & famã eiusdẽ religiosi Ordinis denigrare conãtibus, varijs personis obtrusus fuisset, ac si verus & genuinus Societatis eiusdem partus esset; proq; tali à quibusdam citò credulis habitus: de tam fictitij scripti seu libelli famosi auctore, & complicibus eius, pia memoriæ Illustriss. & Reuerendiss. in Christo Pater ac Dominus D.* PETRVS TYLICKI *Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Cracouien. Dux Seuerien. de eadem Societate optimè persuasus, ipsiusq; tam graui iniuria motus, ne tantum facinus impunitum remaneret, vnaq; cum eo Illustriss. & Reuerendiss. Dominus* D. FRANCISCVS *Diotaleuius, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus S. Angeli & Bisaciarum, ad Serenissimum Poloniæ & Sueciæ Regem* SIGISMVNDVM III. *Dominum nostrum clementissimum, & Poloniæ Regnum, Magnumq; Lithuan. Ducẽ Sanctissimi Domini nostri Papæ* PAVLI V.

Nuncius

Nuncius, inquisitionem certis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis facere commiserant. Cumq; interim idem libellus famosus, seu eadem Monita priuata falsò Societati IESV adscripta, opera quorundam iterum recusus recens in vulgus spargi cœperit; nos pro ratione officij quo nũc fungimur, omnibus & singulis tenore præsentium notum facimus & significamus, eiusmodi libellum, siue manuscriptum, siue impressum, titulo Monitorum priuatorum Societatis IESV falsò insignitũ, esse libellum famosum, esse scriptum iniuriosum, calumnijs, conuitijs & scommatibus refertum, & omnibus illud legere volentibus nociuum & perniciosum; ac proinde illud auctoritate nostra qua fungimur damnamus, atque pro iniurioso & à maleuolis confictо, haberi volumus & mandamus. Insuper eiusdem libelli famosi tam manuscripti, quàm impreßi, & quarumuis eius copiarum seu exemplorum, venditionem, donationem, diuulgationem, auctoritate sedi ordinariæ, qua nunc fungimur, ex præscripto Cõcilij Tridentini concessa, sub pœnis contra legentes, vel retinentes, & publicantes famosos libellos à iure sancitis prohibemus. In quorum fidem has manu nostra subscripsimus, & sigillo muniri iußimus. Datum Cracouiæ in domo residentiæ nostræ, die vigesima Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo sexcentesimo decimo sexto.

Habes, anonyme, monita pro monitis, paucula quidem, sed data fide optima: Lege, excute, & quàm perfricti fuerit oris Geneuensis

bus, confeßione rei, & cæteris requisitis caruisset; vt iniustitiam colore aliquo obtegerent, post mortem iam illius sacerdotis producunt hominem nequam, qui inductus precio iurauit, Sacerdotem illum fuisse perduellem, & à se sacrificantem conspectum. Exceptus fuit ingēti iudicum applausu, quasi egregiè iustitiæ parentasset.

Ob eandem causam hoc ipso anno Lancestriæ alium Sacerdotem sæcularem IOANNEM *Thulesium sexagenarium cum socio* IOANNE *Vrenni textore eodem supplicio affecerunt; post quorum mortem, magnus in populo adstante rumor exorsus fuit, maximè contra eum, qui Sacerdotem cōprehenderat, quem Puritanus quidam, id est Caluinista impurus, sedauit asserens eum non religionis causa, sed quòd perduellis esset necatum fuisse. Cùm verò inde plebs abijsset in frusta ambo secti sunt, & membra in plateam coniecta quinque diebus inhumata manserunt: neque postea quid de illis actum resciri potuit; cùm ad locum in quo cōmixta simul iacebant, nulli pateret accessus. Hæc sunt vera clementiæ Caluinianæ, & libertatis credendi argumenta, quæ tantopore deprædicant.*

VII.

NON SINT MVLTVM SOLLICITI *Euangelici de bonis operibus faciendis, aut accumulandis.*

Quia

QVia bona opera sunt impossibilia; cùm ex Dei, per cuius tantùm adimpletionem ea esse possunt, sit impossibilis. *Ita CALVINVS* libro 2. Institut. c. 7. §. 5. *& in Antidoto Concilij Tridentini, verius dixisset in Toxico*, Sess. 5. ca. 12. I.

Quia omnia opera iustorum sunt sordes, inquinamenta, mera iniquitas, & quę non vitam, sed damnationem æternam promerentur. *Ita idem* CALVINVS lib. 3. Instit. c. 12. §. 4. & c. 14. §. 9. & 11. & cap. 15. §. 3. & in cit. Antid. 5. 6. c. 22. Quis autem fidelis, nisi stultus, solicitus esse velit, de sordibus, inquinamentis, & meris iniquitatibus, quibus damnationem æternam promereatur, faciẽdis aut accumulandis? *Scio conari modò Caluinistas quosdam purgare Magistrum suum à tam turpi errore, cùm aiunt* Caluinum non aliud illis verbis intellexisse ac docuisse, quàm quod Gregorius Magnus (quem nullus Papistarum hallucinatum in re tanti ponderis affirmabit) *Lib. 9. Mor. c. 2.* intellexerat & docuerat, cũ diceret; Sanctus autẽ vir *(scilicet Iob, de quo loquutus fuerat in superioribus)* quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, rectè subiungit; Si voluerit contendere Deus cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille. II.

Sed non minus inscitè quàm subdolè in verbis S. Patris

Patris patrocinium causæ Caluini quærunt. Primò, quia S. Doctor dicit quidem illud, quod vidimus; sed addita expressè hac limitatione, (quam rudis Caluinus nullibi apponit: & quam assecla ipsius pro more suo & genio abijciunt, cùm verba S. Doctoris citant) si ab interno arbitrio districtè iudicetur. Deinde, non affirmat S. Pontifex omnem virtutem nostram esse vitium, quod est in quæstione, & quod asseuerat Caluinus; sed omne meritũ virtutis nostræ esse vitium (idest deficere in aliquo, quod tamen non tollat simpliciter rationem meriti, vt idem S. Pater in hoc eodem libro, & alibi clarè & disertè testatur, & docent Theologi in 1. 2. D. Thomæ. *quod longè diuersum est à primo. Aliud enim est virtus seu honestas operis; aliud meritum, quod nõ nisi in honestate fundatur: vt etiã docet Philosophus in Ethicis; & aliud est facere opus virtutis, seu honestum, ac proinde quod non sit peccatum aut vitium; aliud verò facere meritoriũ, aut honoris, aut laudis, (quæ duo virtuti ex se debentur) aut gratiæ Dei, & vitæ æternæ: imò possunt ista aliquando ab inuicem seiungi, vt nimirum sit opus virtutis, nec tamen meritorium gratiæ Dei aut vitæ æternæ. qualia opera docent Theologi cum* D. THOMA 2. 2. quæst. 10. art. 4. *posse fieri à peccatoribus in lethali existentibus & ab infidelibus, quod etiam colligi potest ex Apost.* ad Rom. ca. 2. versu 4. *vbi docet gentes ipso natura ductu, quamuis gentilitia labe viribus debilitatis ac fractis, non tamẽ extinctis, bonas aliquas functiones*

atque

atque honestate præditas actiones exercere posse, vt asserunt, CYPR. lib.3. ad Quirinum cap. 99. AVGVSTINVS lib. de Spiritu, & litera cap. 28. HIERONYMVS ad Algas. quæst. 8. CHRYSOSTOMVS *& alij. Præterea, non hoc ipso quod aliquid dicitur, aut est vitium, continuo etiam est peccatum, cùm vitium seu defectus possit esse & naturæ, & artis, & id similiter quod à nobis fit indeliberatè: peccatum autem sine ratione voluntarij esse nequit. Accedit, quod nequaquā* S.GREGORIVS *asserat esse vitium tale, quod dānationē æternā promereatur; quod tamen disertè docet Caluinus. qui ideo venit in hanc sententiā, quia contra expressam sacræ Scripturæ auctoritatem arbitrabatur originalem maculam per regenerationis lauacrum non elui, sed tantùm tegi.* (lib.2. Instit. cap.10. §.8. & lib.4. cap.15. §.10. & in Antido. Tridentini Sess.5.) *ac proinde omnia iustorum opera ea infici ac inquinari; quod figmētum Sancto Doctori affingere caluinisticè est calumniari ac mentiri. Ad extremum, Sanctus ille non ideo dixit illud, vt peccata vel sua, vel suorum excusaret, aut sibi & alijs blandiretur, (quod tamen facit sceleratus Caluinus) sed vt sanctißimū quemque non altum sapere, sed humiliter in conspectu Dei de se sentire doceret. Impium proinde est dogma Caluini, & Scripturæ, Patribus ac rationi contrarium.*

VIII.

forsan ituris, mandare non erubescant, in gratiam anonymi qui eademse cum suis naui vehi hic maximè ostendit, missis plurimis, quæ de castitate Ministrorum Caluinianæ scholæ in libris etiam nostro idiomate conscriptis extant, referam vnum in hac materia exemplum. In Lithuania ante viginti & aliquot annos Synodo coacta Caluinistæ decreuerant, vt suæ doctrinæ præcipua capita vna cum Psalmis quibusdam Dauidicis, qui in cœtibus illorũ vbiq; ab omnibus decantari possent, vernaculo sermone typis descripta ederentur. Obtigit prouincia Ministro etiã Vilnensi STANISLAO ex Ostrolekà, alias SVDROVIO, opus concipit, parit, dispergit. sed quoniã pronus in Venerẽ leno impurus non contentus vxore sua puellã Sophiã Volani filiã amore impotẽte deperibat; ne in charta minùs, quã intra cortinas impudicus esset, cantionẽ vnã & alteram acrostychis in eo libro repleuit & in suo, amasiæq; suæ nomine, vt in quibusdam Comœdiarum argumentis Plautus, turpis procus ludere non erubuit. Res à quibusdam deprehensa grauiter vti debuit accepta fuit, & vnum quidem Magnificorum scilicet Dominũ Ioannẽ Patz Palatinũ Mienscẽsem nonparum impulit, vt ad Ecclesiam Catholicam rediret; alijs verò Catholicis occasionem dedit, vt gomorrhæi huius Euangelij ex libro ipso licentiam Caluinistis exprobrarent (quod non semel me præsente fecit Magnificus Dominus Ioãnes Tyskievvic Palatinus Brestensis) & pariter ostenderent Ministros extrito cœlitum pudore non Christum, sed scœnicam iam impudicitiam publicè profiteri. IX.

IX.

IESVITAS VBIQVE PRO IVRATIS hostibus habere debent Euangelici.

RVdis & imperitus nimis esset, qui huius Moniti rationes habere vellet. An enim ignorari potest Iesuitas vbiq; & semper hostiliter se nobis opponere? & nullos magis ac fortiùs ex Papistis, quàm illos hanc nouellam sectam nostram impugnare? Isti sunt primipilares πρόμαχοι Antichristi Romani, hi ante fores commune exitium Ecclesijs reformatis, immani conatu, verbo, scriptis, & factis machinantur.

I. *Ita DAVID Paræus Caluinista* in Oratione de Strophis Iesuitarum.

Adde. Quia astum politicum, sutelas, fraudes, imposturas, sycophantias, dolos malos, quibus symmistæ nostri in Romanæ & Orthodoxæ religionis exitium tanquam vulpina pelle amiciuntur, si non soli, maximè certè Iesuitæ, prouincijs, regnis, orbi denique vniuerso detegere consueuerunt.

II. Quia Fidei nostræ dogmata, quæ à Caluini vbere diuite fluxu ad nos vsque dimanarunt, publicè ac priuatim, dictis, scriptis, maximo conatu, sine cessatione prodigi non solùm valetudinis, sed & vitæ impugnant, scindunt, lancinant; qui labor, quàm sit Caluinismo perniciosus, vel ipsa testatur Polonia, in qua modò ex tot Senatoribus

ac Nobilibus, Caluini placitis olim imbutis; paucos alicuius notę ac nominis videmus superstites, qui inclinatam ac penè iacentem Religionem opibus, ingenio, lingua, calamo, contra tot veteranorum acies, in vnum penè Caluini caput instructas, tueri ac propugnare possint.

III. Quia iuuentutem, quã in Religione Catholica, & omni politiori literatura instruũt, hostiliter contra nos, & quasuis alias grassantes hæreses inflammãt ac instigant: & insuper certissimã ei viam ostendunt, qua è Fidei Catholicæ armamentario arma & tela necessaria contra nos petere & accipere possit. *Negare non possum valde copiosos & eloquentes esse Caluinistas in depingendis Iesuitis mendacia, conuitia, & calumnia quibus illos obruere conantur infinita. Plures etiã hactenus Iesuitæ necati sunt à Caluinistis, quàm à barbaris. Iam enim occisos ab illis numerant ex suis sexaginta septem. Vbiq; nimirum hoc curant Caluinistæ, vt eos aut violenta morte è medio tollant: aut ex prouincijs & ciuitatibus exigant: vel saltem calumnijs ac mendacijs veluti fluctibus oppressos infamæ & boni nominis præsens naufragium inducant. Legatur* 10. & 15. Aphorismus Caluinist. & quæst. 8. 9. & 10. *MARTINI Becani Societatis IESV contra BATAVVM Caluinistam. Sed non est consilium aduersus Dominum, qui Societatem istam sub præsidij sui sypariis defendit à canicula maledicentia, &*

vt multitudine indies adauget, sic fama virtutis & eruditionis cohonestat.

X.

QVO PACTO EVANGELICI PECCATA sua & suorum excusabunt. Dicent:

I. LEgem Dei esse impossibilem, nec ab vllo hactenus (*notentur hæc verba,*) quãtũuis sancto seruatam esse, aut deinceps seruari posse. *Ita Caluinus.* lib.c. Moni. 7. §.1.

II. Deum non iuuare ipsos (sicut & alios homines) cùm à sathana ad peccandum incitãtur; simulare tantũ se velle eos iuuare, re vera autem nihil minùs velle. *Idem CALVINVS* lib.3. Instit. ca.24. §.13.

III. Deum ipsum occulta quadam vi mouere ipsos, impellere ac necessitate (sicut & alios homines) ad omnia flagitiorum genera perpetranda *Ita CALVIN.* libro 1. Institut. cap. 18. §.2. *cuius etiam* num. 1. *verba sunt notanda.* A Deo, *inquit ille,* manat efficacia erroris, vt infideles mendacijs credant. *Hoc ipsum sentit, & Theodorus Beza* Aphor.22. Sic autem agit, *inquit ille,* per instrumenta Deus; vt non tantùm sinat illa agere, non tantùm moderetur euẽtum, sed etiam excitet, impellat, moueat, & regat *Denique ZVINGLIVS (vt in ore triũ firmiter stet hoc portentorum mendacium)* in Ser. de prouidẽtia. Numen ipsum auctor est eius, quæ in nobis est iniustitia. *Colligitur hæc eadẽ*

doctrina

doctrina & ex HIERONYMO *Zanchio Caluinista* lib.5. de Natura Dei cap.2. *quam non immeritò vt manifestè sacrilegam & blaspemam ipsi etiam Lutherani execrantur. Vide* CONRADVM *Slusselburgium* in Theol. Calu. & KRAKIEVIC in citat. Thesib. Monito 1. priuato, *qui ipsos Platonicos Deum coluisse meliorem, quàm modò colant Caluinistæ, asserere non dubitauit.*

Fidelibus, quales sunt Caluinistæ, non imputari à Deo peccata: & venialia illis esse, hoc est, digna veniâ. *Idem* CALVINVS lib.3. cap.4. §.28. *Quid mirum igitur si ipse Deus impellit eos, ac necessitat ad peccata?* IV.

Caluinistas nulla lege obligari: nec diuina, quia impossibilis est; *vt ostensum Monito* 7. ad impossibilia autem nemo obligatur: nec humana, quia ab omni iugo ac subiectione ex dono Fidei Caluinianæ liberi ac immunes sunt; *vt dictum est ex eodem Calu. in Monitis priuat.* Mon.1 §.4 *Et tamen Euangelici Caluinum hunc tam nefaria docentem audent publicè, voce, & scriptis appellare virum plenum spiritu Dei; & qui mediante scriptura Ecclesiam Christi deformatam à Papistis plenè reformauerit; & à fermento errorum & superstitionum prorsus expurgauerit. O extremam cæcitatem ac stultitiam!* V.

CONCLVSIO.

QVis Christianus lectis his Monitis Caluinistarum priuatis aut publicis

non exhorrescet meritò, & non exclamabit
35. Ps. & contra eosdem cum Rege vate: *Non est timor*
52. & 31. *Dei ante oculos eorum. Corrupti sunt, & abominabiles facti in iniquitatibus suis, non est qui faciat bonum. Astiterunt omni viæ non bonæ: malitiã autem non oderunt.* Rectè profectò de Caluinismo scripsit SMIDELINVS (sed non Clypeatus) contra GRINAEVM Caluinistam, & IOAN. Schutz *lib. 50. Causarum. ca. 48.* Lutheranus vterque, Caluinismum, Arianismum, & Machometismum, fratres & sorores esse; tres caligas eiusdem panni; camerinã in quã multæ hæreses confluxerunt; denique vltimam Satanæ iram. Non habeo quod addam aut opponam. Valete Caluinistæ, & si sapitis, resipiscite.

Tu verò Catholice lector, qui vtpote spiritualis homo nosti non tantũ mala execrari, sed & condolere facientibus ea; roga toto cordis affectu Patrem luminum per viscera misericordiæ ipsius, vt mittere velit lucem suam cœlestem his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes ipsorum in viam veræ Fidei & pacis Christianæ. Et scito (vt ibi desinam vnde exorsus sum) Monita priuata Societatis, si rem spectes, nihil in Fide erroneum, imò nec adeò fœda & abominanda in se continere delicta; vt ideo repudiari maximè debeant; sed dolis, sutelis, ac hypocrisi referta esse, & peruersam

qua

qua fiant ea,quæ præſcribuntur (ita volente ſycophanta qui ea confinxit,vt omnes actiones Patrum Societatis ſuſpectas hominibus redderet)admiſcere intentionem: hanc autem quomodo poteſt praxis indicare?vt vel hinc pateat, quàm futilis & triuialis fuerit Anonymi noſtri probatio,cuius in præfatione mentionem fecimus. Verum vt grauiùs adhuc caſtigetur huius impoſtoris, vel libido calumniandi,vel proiecta audacia,& credendi facilitas,placet proferre recens edictũ Ad.R.D.ANDREAE Lipski CuſtodisGneſneñ S.R.M.Secretarij & Epiſcopatus Cracouieñ defuncto Paſtore Adminiſtratoris:quo ille,ne plus innocentiæ periculi,quàm honoris eſſet, his fictitijs Monitis paulò antè recuſis publicè ceruices ac lumbos viriliter confregit.Sic igitur ſe habet;

ANDREAS LIPSKI CVSTOS Gneſnenſis,Cracouien.Plocen.Scholaſticus, Secretarius S.R.M. ac ſede vacante Epiſcopatus Cracouien.ADMINISTRATOR.

NOtum facimus quorum intereſt, vniuerſis & ſingulis Cùm iniquorum hominum impietas,& hoſtis maligni aſtutia, nunquam à diuexandis hominibus Deo in veritate famulantibus

bus cessent; eosq; maximè impetat, qui quotidie magis ac magis eidem diuinæ maiestati placere, cultumq; eiusdem propagare pro viribus contendant; conatibus huiusmodi impijs hominum malignorū vt nos pro Ecclesia Dei communi bono opponamus, ratio officij nostri à nobis exigit. Cùm igitur libellus quidam famosus, Monita priuata Societatis IESV falsò inscriptus, primò quidē manu scriptus, & ex Hispanico (vti titulus ipsius præseferebat) Latinus factus: pòst impressus & typis euulgatus, ante duos circiter annos in ciuitate hac prodijsset; & à quibusdā malè (vti præsumitur) eidē Societati IESV affectis, & famā eiusdē religiosi Ordinis denigrare conātibus, varijs personis obtrusus fuisset, ac si verus & genuinus Societatis eiusdem partus esset; proq; tali à quibusdam citò credulis habitus: de tam fictitij scripti seu libelli famosi auctore, & complicibus eius, pia memoria Illustriss. & Reuerendiss. in Christo Pater ac Dominus D. PETRVS TYLICKI Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Cracouien. Dux Seuerien. de eadem Societate optimè persuasus, ipsiusq; tam graui iniuria motus, ne tantum facinus impunitum remaneret, vnaq; cum eo Illustriss. & Reuerendiss. Dominus D. FRANCISCVS Diotaleuius, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus S. Angeli & Bisaciarum, ad Serenißimum Poloniæ & Sueciæ Regem SIGISMVNDVM III. Dominum nostrum clementißimum, & PoloniæRegnum, Magnumq; Lithuan. Ducā Sanctißimi Domini nostri Papæ PAVLI V.

Nuncius, inquisitionem certis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis facere commiserant. Cumq; interim idem libellus famosus, seu eadem Monita priuata falsò Societati IESV adscripta, opera quorundam iterum recusus recens in vulgus spargi cœperit; nos pro ratione officij quo nūc fungimur, omnibus & singulis tenore præsentium notum facimus & significamus, eiusmodi libellum, siue manuscriptum, siue impressum, titulo Monitorum priuatorum Societatis IESV falsò insignitū, esse libellum famosum, esse scriptum iniuriosum, calumnijs, conuitijs & scommatibus refertum, & omnibus illud legere volentibus nociuum & perniciosum; ac proinde illud auctoritate nostra qua fungimur damnamus, atque pro iniurioso & à maleuolis confictо, haberi volumus & mandamus. Insuper eiusdem libelli famosi tam manuscripti, quàm impressi, & quarumuis eius copiarum seu exemplorum, venditionem, donationem, diuulgationem, auctoritate sedi ordinaria, qua nunc fungimur, ex præscripto Cōcilij Tridentini concessa, sub pœnis contra legentes, vel retinentes, & publicantes famosos libellos à iure sancitis prohibemus. In quorum fidem has manu nostra subscripsimus, & sigillo muniri iussimus. Datum Cracouiæ in domo residentiæ nostræ, die vigesima Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo sexcentesimo decimo sexto.

Habes, anonyme, monita pro monitis, paucula quidem, sed data fide optima: Lege, excute, & quàm perfricti fuerit oris Gene-

uensis

uensis tuus Patriarcha, quamque profligati cordis etiamnum sint impiæ eius doctrinæ propugnatores, tecum expende, & caue serio.

Ne purulentas Lurco calumnias
Fœdâ deinceps è vomicâ spuas,
Mendaciorum nec putrenti
Pòst oneres carie immerentes.
Nam qui feroci Mœnade percitus
Calumniarum congerit aggeres,
Vt lumini obstruat proborum,
Ille sua nocet ipse famæ.

Tu interim vale, si vis, cum tuis fratribus gregarijs totoque fidelium Caluinianorum armento.

Iamque pacatior

Tecum habita, & noris quàm sit tibi curta supellex.

FINIS.



